QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXXI. DECEMB. M. IOANNE BERAVLT DOCTORE MEDICO MODERATORE.

675

An pesti præcauenda venatio?

VALETVDINARIVM est hic orbis. In eo decumbit homo morborum varietate & periculo alijs animantibus inferior. In eum morbi omnes inimicè coniurant, priuati, publici, patrij, exotici, noui antiquis funestiores, longi, acuti. Pestis non certi morbi nomen, vna omnes complectitur, omnium locorum, temporum, ætatum, animantium. In saniore loco magis sæuit. Senes eam minimè sentire Plinij somnium est. Ab ea pisces immunes esse vix crediderim. Vniuersis gentibus, seruitijs, procerum ordini, Regibusque sacrosanctis ingruit, & quo semper stipatur contagio, auxilio futuros Medicum & astantes terret, arcet.



ACRI vindici sui numinis Deo pestis, pesti astra, elementa, viuentium spiritus & humores, seorsim quid vetat? vnius ope putredinis militant. Putrent pestemque concipiunt quæ sunt infra lunam, excepto igne, omnia; aër maximè & quicquid illi qualitatibus aut substantia proximum est. Annus humidus & pluuius sicco nocentior, auster aquilone pestilentior, infantes pueris, pueri adolescentibus, adolescentes ætate prouectioribus & senibus, viris mulieres, cæterisque grauidæ, & quibus substiterunt menstrua, sanguinei & pituitosi, biliosis & melancholicis pesti magis obnoxij.



PESTIS nulla expers putredinis: sed insignem, neque vulgaris moris illam esse oportet, quæ spiritus, humores, partes, sine certis & proprijs aut aduentus aut insultus sui signis, sine febre aliquando, volucri celeritate inficiat, conficiat. Principijs obsta, pugna cardiacis, cerui lacrymâ, lapide bezoardico, armena bolo, theriaca recente in iunioribus, vetere in senibus. Interim venam seca, etiam bubone apparente; parcius & blandius purga, non probo mochlica. fuge narcotica. suda primo quoque tempore, criticum sudorem frustra expectas. vomitum ciere nocet. vtere victu pleniore, euchymo, adstringente. Iuuant assa, salsa, acida.



PRÆCEPS tamen illud malum tutius fuerit præcauere. Ægrius eijcitur, quam non admittitur hospes. Medicinæ partium ea mihi censetur nobilissima, quæ morbum anteuertit. In peste heu fuge, tutus eris. Fuge crudeles terras, inquinatorum consuetudinem. Fuge nocitura, carnem bubulam, hircinam, suillam, zithum, potū fructuariū vtili nunquam præferenda vino. Inter animi perturbationes iram, metum. Venere abstineto, balneo, graueolentibus. Hydrargyrum & Arsenicum cordi ne imponito: Abominandum remedij genus est sanitatem debere morbo. Purgantibus si vtaris, illa blanda sint. Nocet cassia, pilulæ Rufi conferunt. probo vlcera in tibijs, femoribus & brachijs arte facta. Sed nihil magis arcet putredinem, post castigatum victum, & obscæni humoris parcitatem, quàm probè exerceri.



IMO exercitium sanguinis missionem & purgationem supplet, victus errores emendat, membra roborat, natiuum calorem auget, & spirituum concitatiore motu arctos corporis meatus laxiores reddens, commodam corporis habitudinem & excrementorum inanitionem parit. Qualecumque exercitium explet Venatio & superat dignitate. Alia aut seruorum opera, aut otiosorum negotia sunt: Venatio bellicarum exercitationum optima, nobilissima, proceres, ipsosque Reges decet. Præterquam quod manè potissimùm fit, & cibos præcedit, & ab vrbe procul hominum fugit consortia, corpus ipsum calefacit, senectutem retardat, longam facit adolescentiam, visum & auditum acuit, somnos profundos generat, coctionem iuuat, excrementa dissipat, quo nomine potissimùm pestilenti debetur lui.

3 *Ergo pesti præcauenda venatio.* 122

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS FOVQVE', Damfrontensis. Anno R. S. H. 1625.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gulielmus Belet. P. R.
M. Nicolaus Regnier.
M. Ioannes de Bourges.



M. Valentinus Ierosme.
M. Ludouicus Robillart.
M. Franciscus Bouionnier.



M. Nicolaus Henault.
M. Philbertus Guibert.
M. Ioannes Pietre.


B.I.U.M. BIBLIOTHEQUE